

nem, non dogma et fidem ORIGENIS; vel ferebatur ante lafam Ecclesiae sententiam et declaratos errores. Defensio Scriptorum vel controvertit aut negat factam ab universa Ecclesia damnationem; qualis est Pici Mirand., Merlini et Halloixii: vel contendit Origenis scripta haëreticorum fraudibus corrupta et insertis erroribus vitata; qualis est Joannis Hieros. Sixti Senensis, Genebrardi, et aliorum: vel occupatur in singulari capite, fide nimirum Origenis circa SS. Trinitatem; qualis erat Dydimi, Pamphili, Rufini et plurimum: vel excusat solam internam mentem auctoris; qualis est Bineti et quorundam. Horum autem agendi modorum nullus infallibilitati controversae repugnat.

Non 2. Imprimis enim Ecclesia Hispana (de Gallica si quidem præter quædam obscurius dicta Chrodoberti Ep. Turonensis et S. Columbani in ep. ad Bonifacium IV., nihil habetur) *Concilium V.*, quod putabat Chalcedonensi contrarium, recusavit quidem; sed cum hoc ipso in iudicio erraverit, et errorem facti mere personalis Ecclesiae tantum tribuerit; sicut res illa ad tempus prudenter dissimulata est ab Ecclesia, sic nullum sententiæ nostrae præjudicium infert. Pontifices deinde laudati adeo Synodum V. errasse non putarunt, ut eandem singillatim omnes confirmarint. Quod tamen scripserit PELAGIUS I. *licere cuilibet abundare in suo sensu*; PELAGIUS II. acta in Synodo V. vocavit *privata negotia, causas speciales et quaestiones superfluas*; GREGORIUS denique in ep. ad Theodelindam Longobardorum Reginam mentionem de Synodo V. deleverit; hoc, inquam, priores scripserunt de damnatione personarum et quidem in pace Ecclesiae defunctarum, quæ meri facti quaestio est; non autem de damnatione doctrinae sensusque litteralis et naturalis, quæ est quaestio facti dogmatici: posterius vero id fecit ex prudenti œconomia, illo præsertim tempore, quo necdum constabat inter omnes de certa Synodi auctoritate. Recentiorum denique Auctorum assertio pertinet maxime ad quaestionem illam in Constituto VIENNI, num. 2. et 3. propositam; atque hinc Pallav. Tom. II. L. 11. c. 18. mentionem facit *hominum, non dogmatum*; Baron. ad an. 553. *personarum et facti, non fidei*; Binius in not. ad Conc. V. *tantummodo personarum*; Sirmond. in vita Theodoretii et Petav. L. 6. de Incarn. c. 17. *sensus interni et personalis*; tandem Petr. de Marca in Diss. de Vigilio, Godæus in Hist. Eccles. et Aguir. ad Conc. Tolet. XI. *Solius facti vel personarum, non autem juris divini vel dogmatis* meminerunt.

Nec 3. quia ex universo Auctorum numero soli Anastasius Bibliothecarius et Turrecremata, cum paucis forsitan aliis, fatentur errasse Concilium sextum. Eorum tamen prior non agnoscit hoc Concilium œcumenicum ultra confectionem decreti et canonum: posterior damnationem Honorii non habet conciliarem, utpote ex falsa informatione ac rumoribus mendacibus, non autem ex epistolarum examine profectam. Reliqui vel acta Concilii dicunt corrupta, nomenque Honorii fraude Græcorum iisdem intrusum; ut Baron., Binius, Bellarmin. cum multis: vel damnatam quidem Honorii œconomiam, non item doctrinam et fidem; vel si quidem etiam fidem, Honorii certe non ut Pontificis sed ut Doctoris privati iuste legitimeque damnatam; ut cæteri, alterutrum existimant.

Nec 4. tum quia Apologistæ sensum tantum internum et personalem defendendum susceperunt; cuius tamen laboris suscepti Berengarium Pictaviensem et Othōnem Frisingensem deinceps pœnituit: tum quia a par-

ticularibus tantum Conciliis, non vero ab universa Ecclesia, nec definiente Pontifice, damnationem decretam causabantur.

Nec 5. quia Gregorii Laudensis defensio versatur in unico puroque facto: cum ab aliena et malevola manu insertam velit *Joachimi* libro propositionem, quam jure damnatam ipse ostendit.

Non denique 6. quia ex tribus erroribus aut mendaciis id conflatum Theodor. Eleutherius L. 6. c. 4. Hist. de Aux. ostendit: inter quæ illud huc pertinet, quod ea propositio, non ex supplici Libello Societatis, sed alio ex scripto anonymo ignoti auctoris sit excerpta.

118. *Observe.* An definitiones Ecclesiae de factis dogmaticis pertineant ad fidem ita, ut fide divina credi debeant; an vero eatenus duntaxat, ut necessarius sit et certus mentis assensus? ad controversiam pluribus difficultatibus inmodandam quæri ab Adversariis et urgeri solet. Affirmant alii *primum*, eo quod de fide sit omnem textum, ab Ecclesia damnatum, esse vere damnabilem: sub qua enuntiatione universali cum quemlibet librum aut propositionem censuratum contineri facile et certo ostendatur, colligunt hujusmodi particularia, tanquam in illo universali implicite revelata, esse damnabilia etiam credi posse ac debere. Alii acquiescunt *secundo*, fidemque, qua credantur hujusmodi definitiones, non quidem exigunt divinam, nec tamen eam permittunt mere humanam, sed dicunt Ecclesiasticam; eamque certam et firmam exinde statuunt, quod Ecclesiae infallibilitati a Spiritu sancti assistentia profectæ imitatur.

In hac sententiarum diversitate, ut congruè ad dicta in Tr. pr. loquamur, opus distinctione videtur. Et siquidem quaestio, ut nonnunquam fit, eo redeat: utrum Ecclesia in his definiendis sit infallibilis? affirmari potest; cum ea ex hactenus dictis sufficienter probetur esse revelata, adeoque de fide: si vero in objecto definito sistat, ad formam iudicii attendere oportet. Et quidem ubi propositio v. g. damnatur ut hæretica, aut declaratur ut de fide certa, assensus fidei est præstandus: ubi vero damnatur sub mitiore censura, aut asseritur cum prærogativa inferiore, minoris etiam qualitatis assensus locum habet: servata scilicet ubique relativa proportione assensus ad iudicium. Aliæ objectiones, quæ ex *Janseniano facto* huc afferri solent, examinandæ sunt in hujus historia, quam in Tr. de Gratia dabimus et vindicabimus.

ARTICULUS V.

Quenam sit vera Christi Ecclesia?

119. *Nota.* Ut designari vera Christi Ecclesia, certoque cœtui possit attribui, videtur necessario instituenda comparatio inter societates Religionis nomine conflatas, quæ reipsa existant ac durent, fidemque et nomen Christi profiteantur; atque ea facta sufficere: quandoquidem ex prioris defectu enuntiatio hic faciendæ foret de subjecto, ex defectu autem posterioris de prædicato non supponente. Unde non minus ab hac collatione excludimus Hæreticorum sectas, quæ olim exortæ jam interierunt, aut nondum exortæ forsitan prævidentur futuræ; quam nuper jam in Capitis præmio Antichristianorum

factiones rejecimus. Neque tamen opus apparet, *Romanæ Ecclesiæ*, quam pro vera Ecclesia habemus, opponere sectas omnes etiam hodie vigentes; tum quia unitate Religionis, fidei, et Ecclesiæ, alibi jam stabilita, si ostendatur cœtum unum legitimum esse ac genuinum, hoc ipso alii discrepantes reprobentur tanquam illegitimi et falsi; tum quia Protestantium Ecclesia repudiata, pleræque sectæ, nostris temporibus et regionibus propius cognita, tanquam illius aut sociæ aut proles, eodem iudicio abjectæ et spurie declaratae haud obscure intelliguntur.

Est autem duplex *Romanæ Ecclesiæ* acceptio; una quidem secundum *diocœsin ac sedem*; et sub hac intelligitur societas fidelium seu Ecclesia illa particularis, quæ olim fuit ac est Romæ, et in Italia Episcopo Romano ut Ordinario locali subjecta: altera secundum *communione ac fidem*; quæ est multitudo fidelium seu Ecclesia per totum orbem diffusa, Romano Episcopo tanquam Capiti visibili et supremo Christi in terris Vicario, ac ejus Ecclesiæ particulari tanquam unitatis cœtro adhærens. Quamvis vero in præsens de Romana Ecclesia, posteriori modo usurpata loquamur; id tamen non impedit, quominus nonnullas enuntiationes, de Romana Ecclesia priori modo accepta dictas, ad illam transferamus; cum universalis hæc Ecclesia istam particularem, velut totum partem præcipuam, complectatur.

120. *Dico I.* Ecclesia Romana est vera Christi Ecclesia. *Prob.* Cui conveniunt notæ, insunt proprietates, et adjacent prærogativæ veræ Christi Ecclesiæ, est ac recte dicitur vera Christi Ecclesia: sed Romanæ Ecclesiæ conveniunt imprimis illæ notæ, scilicet Unitas, Sanctitas, Catholicitas et Apostolicitas; præterea insunt dictæ proprietates, nimirum Visibilitas, Perpetuitas et Infallibilitas; denique adjacent prærogativæ, quæ sub nomine motivorum credibilitatis veniunt, nempe Dogmatum, Testium ac Sigillorum: ergo. *Prob. min.* secundum omnes partes.

1. *De Notis.* Ecclesia Romana 1. est *Una*; quia Ecclesiæ Romanæ particulari tribuitur a Patribus num. 101 laudatis, et infra addendis, principalitas cathedræ, principium unitatis ac centrum; et ejus Episcopo, ex dicendis Cap. 3, convenit ob Petri successionem primatus, ratio capitis et vicaria Christi in terris auctoritas: omnes denique, qui et quamdiu fuerunt aut sunt in Ecclesia Romana universali, ununtur huic Cathedræ, subjiciuntur huic Capiti, agnoscuntque et illam Cathedram tanquam principium et centrum, et illum Episcopum tanquam primatem et vicarium Christi: quod qui renuunt, Schismatici habentur; et vel ipsi se separant, vel rescinduntur.

2. Est *Sancta*; quia vel nulli post Christum et Apostolos fuerunt sancti; quod Christianæ Religionis honori ac sensui communi repugnat: vel quicumque sanctitate aut manifeste excellenti aut miraculis confirmata celebres fuerunt, membra Ecclesiæ Romanæ erant. Hunc characterem etiamnum vigere ostendunt canonizationes Sanctorum per intervalla celebratæ, quæ ἀποβεία tanta talique iudicii rigore aguntur; ut nec evidentia sanctitatis nec miraculorum insolentia qualiscumque sufficiat, sed quantum humanitus haberi potest, probatissima requiratur.

3. Est *Catholica*; quia non tantum hujus nominis compellatio Ecclesiæ Romanæ, tanquam propria et singularis, aut sponse datur, aut ex conventionem dari debet; sed et ipsa res secundum omnes partes congruit. Habet enim illa

universalitatem doctrinæ, ut vel ex sola fidei professione secundum Tridentini formulam patet: habet universalitatem loci, successivam quidem; quia Ecclesiæ per Asiam et Africam olim florentes sed nunc extinctæ; per Americam recens exortæ, per Europam usque huc perstantes, cum Romana sede communionem tenuerunt aut tenent; permanentem autem, quia Romanæ communionis Ecclesia etiam in plerisque orbis regionibus vel dominatur, vel toleratur, vel patitur: habet universalitatem temporis; quia a Petro fundata, ad nos usque propagata etiamnum durat, quantumvis cœvæ omnes, ætate autem posteriores plures, jam perierint.

4. Est *Apostolica*; quia Apostolum Petrum fuisse Romæ, ibidemque constituisse Ecclesiam, et ad mortem usque rexisse, ostenditur inferius: ab eo autem usque ad hodiernum diem continua successione eidem Ecclesiæ præsedisse Episcopos, docet catalogus infra texendus: iisdem, tanquam supremis capitibus, reliquos omnes, qui pro Catholicis habebantur, Episcopos semper communionem junctos fuisse, contestatur historia universa.

II. *De Proprietatibus.* Ecclesia Romana 1. est *Visibilis*; quia et Romana particularis obvia sensibus est; et adiri potest; Et Ecclesiæ cæteræ cum hac Romana unite designari conspicique possunt; adeoque Romana universalis visibilis emicat.

2. Est *Perpetua*; quia a quo tempore fundata est, vel habuit Episcopum certum ac indubium, vel interveniente nonnunquam Antipapæ schismate, sedes tamen Romana in Clero populoque fidei durans et spectabilis, communionem cum reliquis retinuit.

3. Est *Infallibilis*; quia nec dispersa erravit universa unquam in fide; ut patet ex dictis: nec congregata in conciliis, aut per Pontificem ex cathedra loquentem audita, unquam defecit; ut ex sequentibus constat.

III. *De Prærogativis.* Ecclesia Romana possidet 1. prærogativas *Dogmatum*, quæ sunt veritas, sanctitas et unitas; quia fidei et morum doctrinam Ecclesiæ Romanæ veram esse, ex auctoritate et ratione per universam Theologiam certe ostenditur; nec ullus unquam error eidem vere adscribi potuit: quia omnis illius doctrina tendit ad vitiorum excidium, virtutum exercitium, conciliorum æstimationem et usum, salutem propriam et alienam, cultum Deo dignum divinamque gloriam; ad quam normam qui mores composuerit, veram vitæ sanctimoniam plane consequitur: quia demum nec moderna Ecclesia fide aut doctrina differt ab antiqua; nec ex dogmatibus ullum, post Ecclesiæ damnationem, amplectitur Ecclesia particularis aut qualiscumque fidelis, qui se pro Ecclesiæ Romanæ membro haberi cupiunt.

2. Possidet prærogativas *Testium*, quæ sunt auctoritas, multitudo et integritas; quia inter Apostolos Paulus ad Rom. 1. v. 8.; inter Patres Irenæus, Cyprianus, Athanasius, Augustinus laudati alias, aliique laudandi; inter Doctores tum Episcopi Ecclesiarum fundatores magnam partem monachi, tum prædicatores a Romana Ecclesia undique ad fidei promulgationem delegati; inter Martyres tum olim pro fide catholica ubique terrarum, tum recentius pro Romanæ fidei professione in Germania, Gallia, Anglia, Japonia, China et Tunquino, tormenta ac mortem perpessi; inter Confessores tot Religiosi et Seculares, præter mandata Dei, etiam consilia Evangelica professi, et legum Ecclesiasticarum observantes, verbis et factis de eximia Ecclesiæ Romanæ excellentia luculentissime testantur.

3. Possidet prærogativas *Sigillorum*, quæ sunt miracula, conversio gentili-um, et constantia fidelium; quia et signa, Marc. 16. promissa, et dona, 1. ad Cor. 12. enumerata, hodieum perseverant in Romana Ecclesia: quia hæc etiamnum inferenda in gentilitatis tenebras luce Evangelica continuatis operis occupatur: quia eadem contra tyrannorum vim, hæreticorum prælia, Schismaticorum rebellionem et Politicorum artes victrix hactenus stetit, stabitque inconcussa.

121. *Dico II.* Nulla Protestantium secta est vera Christi Ecclesia. *Prob.* Nec notæ, nec proprietates, nec prærogativæ veræ Christi Ecclesiæ congruunt ulli Protestantium sectæ: ergo nulla horum secta est vera Christi Ecclesia.

Prob. min. per. p. Et quidem 1. *de notis*: constat apud Protestantes non esse unitatem ordinatæ dispositionis sub uno capite, sed cum diversa regione etiam diversos planeque independentes religionis principes haberi: neque adesse principium unitatis aliud; cum iudicem vivum controversiarum saltem infallibilem agnoscant nullum, Scripturam autem, ad quam hic confugiunt, sive in se, sive in privato legentium iudicio, agnosci aut esse non posse, superius sit demonstratum.

Præterea *Sanctitatem* aut manifeste excellentem aut miraculis confirmatam neque auctores sectarum prodiderunt, ut ex eorum vita apertum est: neque in ullo membrorum repertam fuisse authentice doceri potest. Si quæ tamen in illis honeste vivendi ratio nonnunquam apparuit, ea certe non est tribuenda propriis sectarum principiis, sed aut indolis naturæque bonitati, aut politicis rationibus, aut forsitan providentiæ divinæ ad virtutis commendationem ista exempla ordinanti, uti inter medias gentili-um tenebras huiusmodi lucis radios aliquando diffusos etiam legimus.

Universalitatem porro neque loci, sive successivam sive permanentem, neque temporis aut doctrinæ, convenire ulli Protestantium sectæ, satis ex eo liquet quod trium seculorum ætatem necdum numerent, certis regionum limitibus circumscribantur, doctrinamque ex damnatis hæresum antiquarum fragmentis consutam profiteantur.

Apostolicitatem denique quod attinet, certum est ex Reformationis historia, sectas omnes carere antiquitate et successione ad illam dotem requisita: deesse autem missionem extraordinariam, omnimodus signorum, quæ illam probari oportet, defectus demonstrat.

2. *De proprietatibus* sufficit universim notare, easdem ab ipsis sectariis negari Ecclesiæ, quod desperent illas synagogæ suæ accommodari posse. Contra Jurii Systema, de prioribus saltem proprietatibus servandis solliciti, num. 90. est actum: posteriorem autem si quis vindicare contendat, facile ex dicendis de doctrina refutatur.

3. *De prærogativis* similiter manifestum est, doctrinæ deesse tum veritatem, si ad auctoritatis et rationis examen theologicum vocetur; tum sanctitatem, si singularia de mandatorum Dei impossibilitate, de libertatis amissione, de operum omnium corruptione, de justificationis per solam fidem acquisitione, aliaque dogmata notentur; tum unitatem, si ad perpetuas sectarum vicissitudines, et controversias sectariorum nullo iudicio terminandas, attendatur. Quod *testes* attinet; cum quælibet Protestantium secta ab ætate Apostolorum et Patrum longissime distet, habere ab illis testimonium non

potest, nisi forsitan, quod pseudopropheta prædixerunt. Coæva autem Ecclesia tum in Conciliis plurimis, tum in Pontificiis constitutionibus et Iudiciis dogmaticis, non aliud nisi anathematis et damnationis tulit. Hæc ipsa autem causa facit, cur Martyres proferri nequeant, aut si qui obstinatius erroribus adhæserunt, eorum testimonium valeat: *sigilla* demum nulla faciunt miracula; cum etiamnum vigeat illud Erasmi, quod nullus sectariorum extiterit, qui vel equum claudum curaverit: nec gentili-um conversio, quam suæ Ecclesiæ nec curam nec opus esse, propria sectariorum confessio et diuturna experientia docet: nec constantia fidelium, cum Princeps, illustrissima aut perillustri familia fere nulla sit, quæ olim Protestantium partibus adhæserit, et jam non tota aut secundum aliquam sui partem ad Romanæ Ecclesiæ gremium redierit.

Conf. Quæcumque in Ecclesia Christi natæ hactenus sunt *hæreses*, in his pleræque conveniunt; 1. quod, antequam formarentur, secundum primos suos sodales intra gremium Ecclesiæ Romanæ continerentur; ipsius autem earum formationis initium quoad tempus, locum et causas determinari possit: 2. Quod auctores habeant fere moribus improbos, opinandi audacia immoderatos, auctoritate legitima destitutos: 3. Quod doctrinam protulerint a Patribus et Doctoribus Catholicis continuo oppugnatam, a summis Pontificibus aut Conciliis damnatam, ab Ecclesia universa reprobata: 4. Quod factione comparata, legitimos iudices et superiores Ecclesiasticos spreverint; unitatem et communionem sciderint; in singulares cœtus coierint: 5. Quod fidei formulas artificiose et ad fraudes concinnarint; synagogas suas obstinatione, seditione ac armis tuiti sint; utrasque mendaciis, furore ac persecutione sustinuerint, dilatarint. Ergo circumstantiarum istarum complexio non abs re pro nota characteristicâ hæreseos haberi potest.

Atqui his characteribus omnino insignitas esse Protestantium sectas historia Reformationis sic dictæ manifeste ostendit. Ante earum siquidem ortum Protestantes omnes Ecclesiæ Romanæ suberant; neque extra eam vigeat ulla Ecclesia, professione fidei cum illis eadem aut cognata. Præterea enuntiari annus, designari urbs, et enumerari causæ possunt, quando, ubi, et e quibus prima earum stamina processerint. Ad hæc LUTHERI et CALVINI mores adnotati sunt pessimi, opinandi licentia impotens et inaudita, auctoritas reformandi nulla, neque ordinaria neque extraordinaria. Deinde dogmata illorum nova non tantum disputationibus habitis, scriptis libris, et latis Catholicorum Doctorum ac Universitatum censuris oppugnata atque erroris convicta, sed et a LEONE X aliisque Pontificibus successoribus non minus quam a variis Conciliis Provincialibus ac Generali Tridentino damnata sunt; ac insuper ab Ecclesia universa constanter reprobantur.

Tandem factionis Protestanticæ genesin legum impatiens libertas cœpit, magistratus Ecclesiastici contemptus promovit, apertum et inexcusabile schisma complexit: nomen illi ac titulos seditiosa repugnantia contra Cæsarem ac Reges tribuit; vires, amplitudinem, et durationem, direptionibus Ecclesiarum, oppressioni catholicorum, ac diuturnis bellis faventior, successus impertivit.

122. *Observa.* Quæ contra geminam positionem hactenus assertam proferuntur adversariorum argumenta, fere occupantur vel in substituendis aliis

Ecclesiae Notis, vel in infirmanda Proprietatum attributione ad Ecclesiam Romanam facta, vel in objiciendo circulo vitioso probationum nostrarum, vel in avertenda a suis sectis infamia schismatis : sunt tamen hujusmodi omnia, quibus operosius enodandis haud visum est immorari. Quominus enim adferri aliae Notae possint, facit Articuli tertii 2^a et 3^a propositio : neque (si quidem substitutio permittatur) notas proferri solitas congruere Protestantium sectis patitur confirmatio, priori numero exposita. Dein vero quod ad eripiendas Romanae Ecclesiae proprietates genuinas valere potest, tum tertio tum quarto articulo, ut objectum, ita dissolutum fuit. Praeterea circuli vitiosi exprobratio tanto minus huc pertinet, quanto liberalius ipsi adversarii Scripturae existentiam supponunt, quantoque studiosius inter probationes adduximus sigilla seu motiva credibilitatis, quae sine regressu ad Scripturam vim suam exerunt.

Denique cum a SS. CYPRIANO, OPTATO MILEV. et AUGUSTINO pluribus ostendatur, nec ob morum corruptelam, nec ob fidei difficultatem ipsamque idololatriam, schisma faciendum; ipsi etiam Lutherani et Calvinistae, quantumvis dogmate discrepantes, mutuo passim communicent; in purganda schismatis macula Protestantium sectas praeter Donatistas haud feliciores esse posse, aperto exemplo et proprio judicio demonstratur.

QUÆRES : Quenam Ecclesie cum Romana olim fuerint, aut nunc sint unitae?

123. Nota. Sicut Ecclesiae per Episcopos proprie constituuntur, sic et per diversos Episcoporum gradus distinguuntur. Deducitur autem gradualis Episcoporum differentia ex imperio quo illi gaudent. Si enim Episcopo competit imperium in universa Ecclesia, audit *Episcopus Oecumenicus*, seu *summus Pontifex* aut *Papa* : Si in parte Ecclesiae, ita tamen ut plurimum regnorum Episcopos sibi habeat subjectos, *Patriarcha* : si totius regni Episcopos, *Primas* seu *Exarchus* ; Si Episcopos in parte regni, *Archiepiscopus* seu *Metropolita* : si nullum Episcopum sibi habeat subordinatum, nec tamen sit Archiepiscopo subjectus, *Exemptus* : si Archiepiscopo pareat, *Episcopus simplex*, item *Suffraganeus* appellatur. Hanc differentiam non minus quam ordinem in referendis Ecclesiarum Praesidibus servabimus ; sic tamen ut simplicium Episcoporum sedes (cum immensus sit eorum numerus) nominandas haud suscipiamus : in recensendis autem reliquis non omittamus Ecclesias jam a communione Romana vel schismate, vel haeresi, vel infidelitate abstractas ; quandoquidem has ad successivam saltem universalitatem pertinere, ex superioribus constat.

124. Respondeo I. Sedes *Patriarchales*, quas prima jam Ecclesia suspexit et a S. Petro fundatas docet Traditio, tres praecipuae sunt, *Romana* scilicet, *Alexandrina* et *Antiochena*. His postmodum, et quidem ordine secunda, a Graecis in Concilio generali secundo inserta est *Constantinopolitana* : in Conc. gen. quarto autem postremo addita *Hierosolymitana*. Majoribus his ac veri nominis Patriarchis accesserunt deinceps alii *minores*, nec amplitudine imperii pares, vel inveterata consuetudine, aut summi Pontificis indulgentia, hunc titulum adepti, scilicet *Aquileiensis*, *Gradensis*, *Venetus*, *Indicus*, *Aethiopicus* et *Lusitanicus* ; vel ex ruinis Patriarcharum Orientalium exortii ;

quales sunt *Armenorum*, *Coptorum*, *Ruthenorum*, etc., e quibus tamen Aquileiensis, nuper admodum in Archiepiscopatus Goritiensem et Utinensem dissectus, desiit. Porro.

ROMANO Patriarchatui suberant dioceses, antiqui nominis et divisionis, octo ; Italiae scilicet, Illyrici Occidentalis, Africae, Galliarum, Hispaniarum, Britanniarum, et in Illyrico Orientali Macedoniae et Daciae. In Italia quidem numerabantur Provinciae Suburbicariae, Tuscia et Umbria, Picenum Suburbicarium, Campania, Valeria, Samnium, Apulia et Calabria, Lucania et Brutii, Sicilia, Sardinia, Corsica. Item Provinciae aliae, Flaminia, Aemilia, Liguria, Alpes Cottiae, Venetia et Istria, Rhætia prima et secunda. In Illyrico Occidentali, Noricum Ripense et Mediterraneum, Pannonia prima et secunda, Savia et Dalmatia. In Africa, Proconsularis seu Africa proprie dicta, Numidia, Mauritania Sitifensis et Caesareensis, Byzacena et Tripolitana. In Gallis, Lugdunensis prima, secunda, tertia et Senonia, Belgica prima et secunda, Germanica prima et secunda, Maxima Sequanorum, Alpes Graiae et Penninae, Viennensis, Narbonensis prima et secunda, Alpes maritimae, Aquitania prima et secunda, Novempopulania. In Hispaniis, Tarraconensis, Carthaginensis, Gallæcia, Bætica, Lusitania, Mauritania Tingitana, Baleares Insulae. In Britannis, maxima Caesareensis, Britannia prima et secunda, Flavia Caesareensis, Valentia. In Macedonia, Achaia, Thessalia, Epirus vetus et nova, Creta insula. In Daciae diocesi, Dacia Mediterranea et Ripensis, Moesia prima, Dardania, Praevalitana.

CONSTANTINOPOLITANO Dioceses tres, Thraciae, Ponti et Asiae. In diocesi Thraciae numerabantur Provinciae, Europa, Rhodope, Thracia, Haemus mons, Moesia secunda, Scythia : in diocesi Ponti, Bithynia, Honorias, Paphlagonia, Galatia prima et secunda, Cappadocia prima et secunda, Helenopontus, Pontus Palemoniacus, Armenia prima et secunda ; nec non Armenia magna, regio Lazica, Bosphorus, et regio Zecchia : in diocesi Asiae, Asia, Hellespontus, Insulae, Lydia, Caria, Phrygia Pacatina et Salutaris, Lycia, Pamphilia, Pisidia, Lycaonia.

ALEXANDRINO subiacebant Provinciae sex, Aegyptus, Augustamnica, Arcadia, Thebais, Lybia superior seu Pentapolis, et inferior seu Marmarica : ANTIOCHENO novem ; Syria prima et secunda, Augusta Euphratesia, Phoenice Maritima et Libani, Cilicia prima et secunda, Isauria, Osrhoena, Mesopotamia, Arabia : HIEROSOLYMITANO tres, Palaestina prima, secunda et tertia.

125. Respondeo II. Sedes *Primatium* adeo constantes haud enumerari possunt ; cum Primatis titulus saepe variaret, vel pro varia, quam Pontifex subin tribuebat, potestate ; vel pro spontanea Praesulum arrogatione ; dum qui Primati certo non erant obnoxii Archiepiscopi hunc sibi titulum arripuerunt, aut tribui permiserunt : ut in Germania factum legimus. E celebrioribus et constantioribus, sedes Primatis in Aegypto et Lybia erat Alexandria ; in Africa Carthago ; in Anglia Cantuaria ; in Asia Ephesus ; in Cypro, Nicosia ; in Gallis Arelatum, Bituricum, Lugdunum, Rhemi, Vienna ; in Germania Magdeburgum, nunc Salisburgum ; in Hibernia Armachanum ; in Hispaniis Hispalis et Toletum ; in Hungaria Strigonium ; in Illyrico Occidentali Sirmium et Achrida ; in Orientali Thessalonica et Corinthus ; in Italia Roma ; in Lusitania Bracara ; in Palaestina Hierosolyma ; in